

De sapphiro Scripturae S. occasione Jobi XXVIII, 6 / [Sebastian Jacob Jungendres].

Contributors

Jungendres, Sebastian Jacob, 1684-approximately 1760.
Baier, J. W.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

Altdorf : J.W. Kohles, 1705.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mnc25y94>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

De

SAPPHIRO SCRIPTURÆ S.

OCCASIONE

Jobi XXVIII, 6.

In Ordine, quem vocant,
Circulari

SUB PRÆSIDIO

JOANNIS GUILIELMI BAIERI,
Phys. & Mathem. Prof. Publ.

publice disputabit

SEBASTIANUS JACOBUS *Fungendres*
Noribergensis.

Ad d. 7. Novembr. MDCCV.

H. L. Q. C.

ALTDORFI

Literis Jodoci Wilhelmi Kohles,

58700(2)



Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including the words 'SAPPHIRO', 'SCRIPTURA', 'OCCASIONE', 'Lobi XXVII, 6', 'TOAZNIS GIB...', 'SEBASTIANUS JACOBUS...', and 'N. L. O.'.



Proœmium.



E lapidibus & gemmis in sacro codice, veteris potissimum Testamenti memoratis pridem scripsere plurimi, sed non injuria queritur Joh. Clericus, (a) quod omnibus expensis eorum sententiis, nihil præter conjecturas & dubitationes, occurrat. Causam rei non unam attulerunt

(a) Comment. in Ex. XXIX. v. 17.

Paschasius Balduinus in Epistola ad Franc. Rueum, quæ libris hujus de Gemis adjuncta legitur, & nuper admodum Dn. Matth. Hillerus Professor Tubingensis in Præfatione Tractatus sui de Gemmis XII. in Pectorali Pontif. Hebr. ubi tamen simul regula plures traduntur ad explicationem nominum istorum Hebraicorum facientes, aliæ quidem ab Etymologia, à contextu aliæ, aliæ à diversorum Scripturæ locorum comparatione aut parallelismo deductæ. Verum etsi hæc subsidia hermeneutica facile admittamus omnia, certissimum tamen & longe efficacissimum videtur illud, quod ipsius textus circumstantiæ & predicata, lapidibus aut gemmis inibi adscripta, suppeditant. Hac via πολυμαθεσας & Wedelius (b) feliciter detexit adamantem sub jaspidis nomine in Apocalypsi Johannis latitantem, quem aliqui è lapidum Scripturæ numero prorsus exclusum volunt, nescio quam jaspidis hodie sic dictæ speciem substituentes. Neque dubium est, quin eadem usi methodo majori successu versari possent in reliquis exponendis interpretes dummodo placuisset Spiritui S. distinctis epithetis vel descriptione qualicumque illustrare nomina gemmarum omnia, quæ profecto alicubi ita nuda ponuntur, ut difficile sit judicatu, ad quod genus corporum naturalium spectet res nomine deno-

(b) Exercit. Medico-Philolog. Cent. I. Dec. X. n. VIII.

tata, nedum ut speciem, quam vocant specialissimam liceat exinde determinare. SAPPHIRUM Scripturae S. ut paulò plenius noscamus, præter convenientiam nominis, Philosophia Jobi effecit, quam dum in Lectionibus publicis pro ingenii modulo evolvimus atque explicamus, Cap. XXVIII. v. 6. hunc in modum accepimus differentem:

מְקוֹם סַפִּיר אֲבִינִיָּה וְעִפְרָת זֶהֱבָ לֹו :

Locus SAPPPIR (*sunt*) lapides ejus, & pulveres auri (*sunt*) ipsi. *Quæ verba, à plerisque interpretibus vix leviter tacta, nunc post præmissam brevem analysin, cum historia naturali diligentius conferre, divino freti auxilio constituimus.*

§. I.

(c) Cap. I.
26, & X. I.

PER Vocem סַפִּיר lapidem quendam sive gemmam notari, magno consensu docent auctorum commentarii : apud Ezechielem enim duabus vicibus (c) occurrit cum addito vocabulo אֲבִינִי ; Sed qualis præcise gemma indigitetur, non æque convenit inter doctores. Rabbinii (quos *tanta caligine in horum notitia cæcutire scribit Paschasius Balduinus l. c. ut plusquam talpas exoculatos credere fas sit,*) mire etiam heic variant, aliis nomine סַפִּיר *crystallum*, aliis *adaman-tem*, aliis *carbunculum*, aliis denique *sapphirum* intelligentibus. Verùm bene est, quod se ipsos mutuò pridem confutarunt, ut videre licet apud *Ben Melech* in *Michl. Jophi ad Exod. XXIV. 10.* Sic enim nos eo labore supersedere possumus, cetera nulli dubitantes, quin, cùm toties in Scripturis throni Divini, vel, quod eodem redit, cœli apparens facies cum lapide סַפִּיר comparetur, gemma cœrulei coloris eò nomine veniat. Antequam tamen ulterius quid definiamus, reliquas dicti nostri partes juvabit perlustrare.

II.

Dicitur de lapide ספיר, quod locus ejus sint אבניה lapides ipsius, nempe terra, quod subjectum in versu proxime præcedenti reperimus. Non possumus ergo non assentiri B. Schmidio, qui in Comment. super hunc locum simplicissimum putat, si subaudiatur verbum Substantivum in Præsenti, & observetur, quod in Hebraismo in Ellipsi verbi Substantivi soleat Nominativus præponi: ut hac sit versio: Lapidus illius, terra scil. sunt locus Sapphiri, h. e. Sapphirus inter lapides ejus ignobilissimos nascitur: etsi nos malimus citra limitationem lapides retinere, quàm restringere sensum ad ignobilissimos.

III.

Denique cum in altero versu membro Jobus pergat: Et pulveres auri Ipsi (sunt); haud immerito quæritur, ad quodnam subjectum pronomen respiciat? Agnoscit Schmidius, pronomen לו aliquid disensus gignere, quod Masculinum cum sit, ad ארץ terram fæm. referri non possit. Itaque nonnulli (d) subjectum (d) Quos vide apud Schmid. l. c. constituunt vocem מקום locum, ut sensus sit, pulveres auri esse illi loco, (de quo in priori hemistichio.) Alii referunt ad hominem ex vers. præced. h. m. Pulveres verò aurum dant illi, scil. mortali. Schmidius ipse mavult ad DEUM referre, ad quem referenda quoque sint, quæ v. 7. 8. 9. 10. 11. habentur. Mirum vero, è tanto interpretum numero neminem cogitasse de substituendo lapide ספיר, (qui sine dubio subjectum est omnium proximum,) præter unum Scultetum à Dn. Hillero citatum, cujus sententiæ & accedit Ipse, & nos etiam subscribimus, ita jam exponentes versum integrum: E lapidibus terræ, tanquam è loco natali, provenit Sappir gemma, cui pulvis aureus inest.

IV.

Possemus facili negotio pluribus hanc interpretationem roborare probationibus, & reliquarum ex adverso difficultates

ostendere, ni persuasissimum haberemus, quemvis à partium studio alienum, vel tacentibus nobis, bonitatem causæ nostræ agniturum. Quare missis ambagibus, nunc statim à codice Scriptorum ad vastum naturæ librum convertimus oculos, lapidem *Sappir* à Jobo sic descriptum in regni mineralis thesauro quæsituri,

V.

Characteribus ille gaudeat oportet sequentibus: 1) proveniat vel ex Arabia, patria Jobi, (is enim laudat hanc gemmam, tanquam notissimam) vel certe finitimis regionibus, & quidem 2) speciatim è terra lapidosa, quinimò inter lapides è visceribus terræ erui solitos. 3) Colore cœruleo referat cœlum serenum, & simul 4) miculas sive pulveres auri sinu suo foveat. Quod si ad hanc normam gemmarum omnes species revocemus, non videbimus aliam rectius quadrare eâ, quæ hodie *Lapis Lazuli* dicitur. Intelligimus autem orientalem, verum & fixum, de quo

(e) Histor. Gemm. & Lap. Lib. II. Cap. 120. p. 275.

Ansh. Boëtius: (e) Fixus lapis Lazuli, hoc est, qui igni impositus colorem non mutat, (hæc enim legitimi proba est) ex Oriente fere adfertur. Negari enim non potest, plures mineralium cœru-

(f) Vid. Bauschii de Cœruleo & Chryfocola Cap. II. p. 51.

leorum species cum hoc nostro passim ab auctoribus confundi & eodem nomine venditari. Unde & *Laurentius Catelanus (g) lapidem Lazuli quadruplici constare scribit diversitate: Primus cœruleus est, omnis aliarum rerum admixtionis expers. Alter plurimas venulas & particulas marmoris albi admixtas representat. Tertius permultis Marcasitæ refertus est portunculis, quæ aurum emulantur. Quartus maculas quasdam vere aureas stellularum modo radiantes habet &c.*

(g) De Confect. Alchermes Cap. IX.

Quarta solùm species est hujus loci, quam ab omni antiquitate præstantissimam inter cæteras fuisse habitam testatur Idem l. c.

VI.

Quam familiaris hic lapis pridem fuerit Arabiae, vel solum nomen *Lazuli*, *Lazur*, *λαζούριον* monstrat, quod ex Arabico *Lazuard* corrupte formatum, in varias linguas transit, juxta *Salmasium*, diligentissime hoc docentem in *Exercit. de Homonym.* Hyles iatricæ *Cap. CXIX.* Creberrima quoque ejus mentio fit penes Medicos Arabas, *Serapionem*, *Averroëem*, *Avicennam*, *Mesuem*, teste *Manardo* (h) qui etsi queritur, nostrum illum lapidem cum Armenio ab iis confundi, primariae tamen causæ nihil derogat, si quidem ex rei veritate *Boëtius* l. c. affirmat, lapidem *Lazuli* verum ab Armenio cocturâ tantum differre ac duritie, itemque venis auri, quas hic non habeat. Præterea nomen *lazuard* generale est, *cæruleum* significans, (i) ac proin utrique lapidi competit, nisi quod de altero *κατ' ἐξοχήν* dici consuevit, cum addito *hagjar* sive, ut alii efferunt, *hager*, quæ vox *lapidem* notat. Ceterum an in ipsa Arabia nascatur *Lazuli* noster, certò haud constat; fertur tamen patria ejus *Armenia*, satis propinqua Arabiae, ut commercii beneficio plene ibi potuerit innotescere, nec non *Medorum Scytharumque* Asiaticorum terra, in *pecul. Disfert. G. P. Piereri* de *Lazulo* cap. V. p. 16. ubi plura veterum ac recentiorum suffragia congeruntur.

(h) *Ad Mesuem* de simplicibus Purg. lib. II. Cap. XIV.

(i) *Conf. Andr. Cæsalpinum* de Metall. Lib. II. Cap. LXV. pag. 105

VII.

Illud vero extra controversiam positum est, quod media inter saxa è venis metallicis, præcipue auri fodinis, lapis *Lazuli* verus eruatur. Testes enim habemus *Manardum* l. c. & *Matthiolum à Ferrando Imperato* citatum, (k) qui expresse scribit, *cæruleum lapidem præstantissimum Tantum auri metallis fodiri in regionibus Orientalibus.* Consentunt *Schröderus* & *Sansovinus* apud *Bauschium* l. c. p. 58. quem vide. Atque hinc saltem probabiliter inferimus *Arabiam* auri feracissimam, *Lazulo* etiam non destitui.

(k) *Histor. Nat. Lib. XXII. Cap. XI. p. 698.*

VIII. Cæ-

VIII.

Cœruleo colore nulla alia gemma ad sereni cœli pulchritudinem propius accedit Lazulo nostro, quod cum *autoψia* doceat luculentissime, supervacaneum foret probare consensu scriptorum operose conquisito. Videtur quidem *Mesues* l. c. contrarium efferre, cum ait : *Alius* (lapis est) *viridis clarus cœlestis, & vocatur lapis lazuli, & quandoq; minera fert utrumque simul. Melior, cujus color est viridior in colore lazulini &c.*

(1) l. c. Cap. XL. p. 126. Conf. *Catelan.* l. c.

Sed commodam explicationem hanc dedit *Casalpinus* (1) *Verbum, viridis, clarus, cœlestis, non accipiendum est, ut duo colores significantur, — sed viriditas significat intensiorem coloris cœlestis. Similiter cum dicit: melior est, cujus color viridior in colore Lazuli, id est, saturatior. Sic apud Plinium videtur accipi, cum de Pederote gemma inquit, inest viridis suo modo aër, i. e. cœruleus saturatus.*

IX.

Pulveres vero auri, quos lapidi Sappir tribuit Jobus, plane proprii sunt Lazulo genuino, ac differentiam quasi ejus specificam constituunt, fatentibus Matthiolo, Boëtio, Catelano & (cujus hic verba refert) Fallopio, Mesues ipse, cum laudasset eum, cujus color est viridior, statim addit: & habet maculas aureas. Sed mixtus cum marchasita est non bonus, & non maculatus est non bonus, & similiter levis. Quem in locum ita commentatur Manardus: Cyaneus, cujus nunc usus, aliquando punctis aureis interstinctus invenitur, aliquando absconditum intra se aurum tegit, quod arte quadam ab eo elicitur: quod mirandum non est, cum in metallis auri gignatur. Artem ipsam eliciendi aurum è Lazulo, Mercurii ope, tradit Boëtius Cap. CXXXIX. & Catelanus Fontanum memorat scribentem, se vidisse lapidem scintillulis è purissimo auro micantem, monstratum sibi ab Alchymista magni nominis, qui modum novit, quo aurum ex hoc lapide artifi-

artificio quodam pereleganti educi posset. Cui quidem reclamatur Catelanus, non sine aliquo in Alchymistas stomacho, & denique concludit: Ratum itaque & firma ratione stabilitum esto, nos vero lapide Lazuli, qui scintillis è purissimo auro constat, destitui, omnesque alios lapides cœruleos, qui hodie in cognitionem humanam venire possunt, marcasitatos esse, hoc est, Marcasitæ plurimis portiunculis refertos, quæ aurum quidem primo ad aspectu emulantur, verum ubi ignis vim subierint, ejus splendorem penitus derelinquunt. Nempe legerat vir doctissimus Fallopius, (m) hanc methodum dignoscendi scintillas auri veras à spuris, præscribentem: Si ponitis in ignem lapidem Lazuli, in quo sunt scintilla aurea, & mox refrigerari permittitis, videbitis scintillas illas redditas pulchriores & magis ardentes, quod non fit in aliis. Atqui instituto experimento in pluribus Lazuli fragmentis, è Germania, Hispania & Italia magno sumtu conquistis, nullum ipsi obtigit, quod scintillas suas aureas, dum ignis vim persentiret, non amisisset; unde collegit, omnino hodie deperditum esse verum ac genuinum lapidem Lazuli.

(m) Lib. de fossilib. Cap. 33.

X.

Utrum firma sit hæc consequentia, judicandum relinquimus aliis, neque jam experimenti ipsius processum legitimum (qui sane, an recte se habeat, multum refert) in dubium vocabimus: Sufficiunt nobis exempla contraria scrupulos omnes facile remota. Habuit Kentmannus cœruleum nativum Hispanicum, in quo aurum apparebat; Spanisch Lasurstein / darinn sich tig fein Gold; it: Aurum in lapide Armenio ex monte Carpatho, gedigen Gold in einem Lasurstein. (n) Lapidem lazuli auriferum calcinatum, ex Vesuvio; einen ausgebrannten / goldhaltigen Lasurstein / Weickmanniano Exoticophylacio Ulmensi tribuit Bauschius p. 133. E chryfocolla & cœruleo nativo excoqui aurum, affirmant Georg. Agricola (o) atque Encelius,

(n) Nomencl. rerum fossil. p. 16. b. & p. 18.

(o) De re Metallica

B

qui Cap. 26. p. 913.

(p) De re
Metall. Lib.
II. Cap. 21.
22. p. 121.
& 123.

(p) qui loca etiam nominat Lauterbergam in Saxonia ad Hercyniam & Goldbergam Silesiæ. Inprimis autem huc spectat testimonium *Piereri* in laudata Differtat. de Lazulo Cap. XI. §. 5. his verbis conceptum : *Parents meus Ludovicus Clemens Piererius, Medicus & Practicus Ratisponensis, nuper per literas mihi communicavit, quomodo ex Lazulo in aurifodinis (qui aurum) & argentifodinis (qui argentum continet) reperto, aurum illud & argentum sint extrahenda; siquidem ipsemet non sine felici eventu expertus est, docetque aurum illud esse nobilissimum, ut inde frustra neget & obstrepat Fontano Catebanus.* Esto igitur, non omnem Lazulum in sinu aurum fovere, modo illud obtineamus, quòd qui ex aurifodinis eruitur, nobili hoc metallo fetus deprehendatur.

XI.

Constare ex dictis crediderim, lapidem Lazuli implere partes omnes descriptionis ספיר à Jobo suppeditatæ : Neque tamen in his subsistere licet, priusquam objectionibus eruditorum, quæ magno numero petunt sententiam nostram, satisfecerimus. Opponitur enim (1) ipsum nomen ספיר , quod *Sapphirum* sonet non lapidem *Lazuard* aut *Lazuli*. Si excipias, Sapphirum manifestè destitui caractere primario, videlicet auri pulvere, atque idèd hinc excludi, quantumcunque faveat etymologia; mox audies provocantes ad locum *Theophrasti* : (q) *αἱ μὲν (τῶν λίθων διαφορᾷ) τῇ ὄψει μόνον. οἷον τὸ Σάρδιον καὶ ἡ Ἰάσπις καὶ ἡ Σάπφειρος. αὕτη δ' ἐστὶν ὡσπερ χρυσοπάσος.* *Alia quidem (lapidum differentiae) specie solum commendantur, ut Sarda, Faspis & Sapphirus. Hæc autem tanquam auro distincta est.* Cui accedens *Dionysius Afer*, (r) canit :

(q) De Lapidibus, edit. Heinsianæ p. 394.

(r) In Geograph. Description. Asiæ, speciatim Arianae regionis.

Πάντη δ' ἐν πέτρῃσιν ὑπὸ φλέβες ὠδίνουσι
Χρυσείης κυανῆς τε καλὴν πλάκα Σάπφειροῖο.
Passim verò in rupibus sub (terra) parturiunt venæ Aureæ & cæruleæ pulchram tabulam Sapphiri;

quem

quem verſum poſtremum *Rhemnius Fannius*, vel qui alius eſt *Dionyſii metaphraſtes*, perperam ita tranſtulit:

Sapphiriꝯ decus nigri flavique coloris:

Antonius Becharia adhuc pejus: *Ex montium venis Saphireæ caduntur cruſtæ, flavi quidem & fuſci coloris.* Similem in modum

Plinius (s) *Sapphirus*, inquit, & aureis punctis collucet. *Epiphanius* verò (t) inter diverſa Sapphiri lapidis genera primo loco ponit *Regium, aureis punctis varium*:

Ἐστὶ γὰρ ὁ βασιλικὸς, χρυσοσιγῆς. Ad eò omnis antiquitas conſentire videtur hac in re,

nobiſque adverſa.

XII.

Verù enim vero adhuc in ambiguo eſt, ſitne Sapphirus veterum eadem cum hodierna vulgo ſic dicta, an potius ipſe lapis Lazuli verus: Sane *Ferrandus Imperatus* (u) non dubitat ſcribere:

Sub appellatione Sapphiri cærulei lapides, atque in primis lapis Lazulus, cenſiti fuerunt à veteribus; quocirca Sapphiro proprietatem punctorum auri attribuerunt, cujuſmodi tamen Sapphirus noſtro ævo nullus eſt viſus, qui gemma eſt tranſlucida,

atq; à punctatione auri remotiſſima, qua quidem lapidi Lazulo peculiaris eſt. Quæ hîc de antiquis ſcriptoribus ſummatim pronunciat *Imperatus*, ea ſeoriſim in *Plinio* notant *Casalpinus* (x) *Catelanus* l. c. *Boëtius* (y) *Ol. Wormius* (z) & in *Epiphanio Baccius*.

(a) Circa *Plinii Sapphiros in primis memorabile, quod nuſquam pellucidus eſſe ſtatuit: id enim in Lazulum optime quadrat, in Sapphiros vulgares minimè.*

XIII.

Quid verò ad hæc regerunt adverſæ ſententiæ patroni? *Coſtaeus* (β) ſequentia: *unum hic de Sapphiro omittendum non eſt, quum Plinius aureis punctis notari eum ſcribit, non errare tamen aut cum cyaneo lapide (i. e. Lazulo) Sapphirum confundere; ſi enim eos conſulas, quibus gemmas poliendi eſt cura, priuſquam poliantur, in eſſe illi aurea illa interdum puncta intelliges.*

ſi enim eos conſulas, quibus gemmas poliendi eſt cura, priuſquam poliantur, in eſſe illi aurea illa interdum puncta intelliges.

ſi enim eos conſulas, quibus gemmas poliendi eſt cura, priuſquam poliantur, in eſſe illi aurea illa interdum puncta intelliges.

(s) Lib. XXXVII. Cap. 9.
(t) De XII. Gemmis. n. V.

(u) Lib. XXII. cap. 25. p. 635.

(x) Lib. II. Cap. 34. p. 119.

(y) Lib. II. Cap. 42. & alibi.

(z) In Muſeo p. 65.

(a) de Gem. Natura Cap. VII. p. 64.

(β) In Not. ad Meſuæ Grabad.

Diſt. I. p. 96. a.

Ergo fatetur tamen *Costeus*, interdum faltem id in vulgari Sapphiro eâque nondum politâ, observari, quod Plinius suæ citra limitationem tribuit cum Theophrasto & Dionysio.

XIV.

(γ) Exerc.
Plin. p. 93.

Opacitatem de Sapphiro Plinii *Salmasius* (γ) dici putat secundum quid, nempe respectu punctorum auri, quæ τὴν διάφασιν prohibeant, cum lapis cetera probe pelluceat. Verum, an hoc sit *nusquam pellucidum*, videant alii. Adhuc longius procedit

(δ) Cap.
VI. p. 143.

auctor libelli Italici *Tesoro delle gioie*, (δ) falsissimum esse scribens, intelligi per Sapphirum Plinii, lapidem Lazuli: cum detur species Sapphiri non transparens, continens arenas auri. Sed qua ratione probabitur, esse hanc specie diversam à Lazulo? quis differentiam experimento monstravit? quibus in museis aut gazophylaciis asservatur? Nihil certe frequentius, quam imperitos rerum errare quoque in nomine. Venditur hodiernum *genus Sapphiri opaci, non perspicui, nigricantis, splendidi, Kleine schwarzhlichte Saffier von der Iserwiese* (ita describit *Schwenckfeld* in *Fossil. Silesiæ*) & pharmacopæis passim pro veris obtruditur, quod tamen nil nisi genuinam Martis mineram esse, vel magnetis tractu Frater & Collega meus *D. Joh. Jacobus Bajerus* ostendit.

XV.

Si dicere licet, quod sentimus, & paulo altius rem repetere, videntur Græci cum lapide *Sappir* (eo quem supra assumimus) etiam nomen ex Oriente primitus accepisse, neque displicet *Salmasii* de ipsius nominis origine meditatio: (ε) *Ut topazium ab insula Topazo Arabici sinus, ita alia insula in eodem sinu fuit, in qua eruebantur Sapphiri, quibus & nomen dedit. Σαπφειρήν dicitur Ptolemaeo. Sic enim apud eum legendum. Stephanus: Σαπφειρήν, νῆσος ἐν τῷ Ἀραβικῷ κόλπῳ. Ἐκ ταύτης ὁ Σάπφειρος λίθος. Immo Σαπφείρ, ipsius insula nomen, vel Σαπφείρ*

(ε) Exerc.
Plin. T. II.
.763. a.

Σαπφείρ, ut Ὠφείρ, unde Σάπφειρ ❧ appellata. He brais Sapphir lapis ille dictus eodem, ut apparet, cum loco nomine, ut Ophir aurum appellarunt, quod ex regione Ophir veniebat. Itaque Græcis pariter Lazulus olim dicebatur Σάπφειρ ❧ & sub hoc nomine à Theophrasto ac Dionysio describebatur, unde & Plinius cum Epiphanio sua hausit. Vulgarem Sapphirum Græco vocabulo nominavere κυανός, quod ex Theophrasto colligimus scribente: (ζ) Καλεῖται δὲ καὶ κυανός, ὁ μὲν ἄρρεν, ὁ δὲ, θῆλυ. (ζ) l. c. p. μελάντερ ❧ δὲ ὁ ἄρρεν. Vocatur ❧ cyanus altera mas, altera 395. femina; nigrrior (saturatior) autem mas. Deprehendimus enim hanc differentiam cum omnibus circumstantiis in ista Sapphiro; (η) de Lazulo autem vel cœruleo alio, simile quid legisse probatos apud auctores, nō memini. Laudatur quidem Theophrasto insuper κυανός αὐτοφυής, ἔχων ἐν ἑαυτῷ χρυσοκόλλαν, cœruleum nativum, habens in se chrysocollam; at non tanquam lapis aliquis, verum οἶον ἄμμι, velut arena, pag. 396. Sic pag. 398. cœruleum illud provenire ait è fodinis ærariis, perinde ut Dioscorides lib. V. cap. 106. Nullibi verò aurea puncta eidem tribuit, qualia Sapphiro suæ. Aut ergo sub hac Sapphiro latet Lazulus verus, aut dicendum erit, eum Theophrasto plane ignotum fuisse, ipsius denique & veterum omnium Sapphirum χρυσόπασον hodie, imò pridem defecisse ac deperditum esse; quod postremum Dn. Hillerius eligit l. c. p. 31.

(η) Conf. Agric. de nat. Fossil. lib. VI. cap. 17. Boët. l. c. p. 183.

XVI.

Nobis quidem (sed salvo aliorum iudicio) videtur Lazulus, postquam sub appellatione Sapphiri penes Græcos aliquamdiu stetit, sensim etiam generali ac vernaculo nomine κυανὸς à quibusdam cœpisse salutari; unde fortassis evenit, ut Plinius, qui nunc Sapphirum, nunc cyanum, rem actu unam videbat dici χρυσόπασον aut χρυσοσιγῆ, id ipsum tribueret duabus gemmis: Inest cyano aliquando ❧ aureus pulvis, non qualis in sapphirinis.

Sapphirus enim & aureis punctis collucet ; quemadmodum ibidem Theophrasti cœruleum nativum cum cyano lapide confundit, quod è textu Theophrasti cum isto Plinii collato facile perspicui potest. Ex eodem sine dubio fonte manavit confusio apud alios scriptores Plinio juniores, cui tandem ultimum quasi complementum accessit per Medicos Arabas, scriptis suis in Europa inclarescentes. Hi enim, cum lapidem nostrum absolute cœruleum, (*bagjar lazuard*) vocarent, ejusque in medicina usum mire extollerent, Occidentales rei novitate suspensi, nomen simul ipsum Arabicum amplexi sunt, omisso vetere, quod cyano Theophrasti postea pleno quasi jure cessit, ut hic solus jam audiat *Sapphirus* ; sicut vicissim *cyani* vox, tanquam generali termino *Lazuli* magis respondens, ad illum alterum lapidem usu transit.

XVII.


Sed nondum tamen dimittimur cum Lazulo nostro, Scripturæ Sapphiro. Objici enim adhuc potest, (2.) Scripturam ponere Sapphirum, quæ sit **כח**, lapis: at Lazulum non esse lapidem proprie dictum, verum *glebam metallicam* juxta *Schvvenckfelt*. i. e. vel *mineram auri* (minera d'oro) secundum *Tesoro delle Gioje* p. 40. *Kentmannus* ad *succos nativos* refert: ad *mineras* reducit *Foël*, ad *metalla Jac. Sylvius*, citante *Pierero* in *Dissert. laudatâ*. Enimverò, ut ex his aliqua de cœruleo vulgari quadatenus valere non repugnem, ita Lazulo vero plane adversa esse persuasus sum. *Succi concreti* vel nativi definiuntur ab *Agricola* (3) res fossiles, quæ humore non difficulter solvuntur: sed Lazulus verus, etiam aceti fortis examen sustinet citra mutationem (1). *Gleba* ordinarie est friabilis: Lazulus non item. Ceterum etsi micas auri gerat noster, non tamen ideo recte dixeris auri mineram, lapidi oppositam; nam Theophrastus quoque agnoscit *lapides*, qui simul aurum & argentum habent: $\tau\omega\nu\ \delta\epsilon\ \lambda\acute{\iota}\theta\omega\nu$

(3) de *Caus. Subterr.* Lib. III. Cap. 12.
(1) *Boët.* Cap. 123. p. 279.

λίθων πολλάί τινες αὐφύσεις, καὶ τῶν μεταλλευομένων ἕνιαι ᾧ ἀμείων χρυσὸν ἔχουσι καὶ ἀργυρον. Uno verbo: durities Lazulum inter lapides ponit, puritas, nitor & pretium inter gemmas, vel certe inter lapides Boëtii pretiosos, juxta ejus Lib. I. Cap. I. p. 13. quamquam nec refragamur sententiæ Ferr. Imperati: *Lazulus proprius est aurirubigo, atque ob densitatem vena sua, levoremque quem recipit, (adde & sculpturam) inter gemmas numeratur. p. 111.*

XIIX.

Nihilominus adversus hæc(3.)urget laudatus Dn. Hillerus p. 32. quòd Lazuli lapidem pene infra nobilium gemmarum dignitatem positum adhuc viliozem fecerit amplitudo, quæ tanta, ut in vasa & scyphos aliquando fingatur, teste Imperato: *Tantum abest, ut cum Cyano & Sapphiro nomen communicet.* Verùm liceat nobis & ad hæc aliquareponere. Esto, inveniri Lazulum majoris amplitudinis, quam quæ nobiliorum gemmarum esse solet, quod Boëtius quoque fatetur, ac ob id in Tab. I. ad p. 15. inter lapides magnos, sed raros, duros, pulchros, opacos, eum collocat: hoc tamen non impedit, quò minus (eodem docente Boëtio, Cap. 122.) *lapis Lazuli eam auctoritatem habeat, quam Sardonyx, ac eodem pretio, aut paulo majori divendatur.* Atqui Sardonychi Vir Clarissimus non dubitavit locum assignare inter XII. gemmas Aaronis pag. 51. seqq. Deinde constat, non omnem cœruleum lapidem esse Lazulum verum, etsi pro tali venditur. Verus enim ex auri fodinis tantum prodit, ac de illius raritate querentem supra audivimus Catelanum, cui fere consona habet Matthiolus apud Imperatum, l. c. p. 698. Denique si maxime nostro ævo verus Lazulus esset vilioris conditionis ac pretii, eò quod in pluribus Europæ regionibus copiose eruatur, non tamen sequitur, etiam priscis temporibus eundem dignitatis gradum obtinuisse, cum pauciores suppeterent venæ, nobile istud terræ depositum humano generi communicantes.



ΕΠΙΜΕΤΡΑ

à RESPONDENTE adjecta.

I.

A *N* omnia Elementa sint gravia? Resp. Affirm.

II.

An Sensus errare possit? Resp. Neg.

III.

An Vestimenta, Lecta, Culcitra aliaq; Integumenta non solum Corporibus calidis Calorem, sed & Corporibus frigidis Frigus suum conservare possint? Resp. Affirm.

IV.

An Numerus Elementorum quaternarius probari possit? Resp. Neg.

V.

An Elementum Ignis purum summe sit calidum? Resp. Neg.

VI.

An dentur Ignes calidi qui non luceant? Resp. Affirm.

